

diligenter inquirent, & se informarent, ac quidquid per inquisitionem, & informationem huiusmodi de sanctimonia, atque miraculis eiusdem antistitis invenirent veritate fulciri, & totum exinde formatum processum eorum sigillis munitum ad eundem Prædecessorem remitterent per eum examinandum secundum exigentiam, & continentiam meritorum.

Processus.

§. 8. Postmodum vero præfati commissarii ad executionem litterarum dicti Prædecessoris iuxta commissionis formam eis traditam super his, quæ pro huiusmodi veritate investiganda necessaria erant, legitime procedentes, ac de sanctimonia vitæ, & miraculis dicti Osmundi Episcopi diligentius inquirentes, nonnullos testes bonæ opinionis, & famæ cum ea, quæ decebat, attentione, & diligentia examinarunt, quorum depositiones, & attestations in authenticis scripturis redacta, in archivio dictæ Ecclesiæ conservata per certa tempora remanserunt.

Ad Gregorium XII., & Martinum v. res perducitur.

§. 9. Et licet ex post varietate temporum, ac plerisque aliis causantibus impedimentis, in huiusmodi causa ulterius processum non fuisset, nihilominus postmodum Canonizationis causa prædicta coram bonæ memoriæ Angelo Corario in universali Ecclesia Episcopo tunc Gregorio XII. in sua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nuncupato, primo, & successively pro parte bonæ memoriæ Joannis Episcopi, ac dilectorum filiorum Decani, & Capituli Saresberienensis coram pia me: Martino Papa V. etiam Prædecessore nostro propolita, ac præmissis omnibus, & singulis ex ordine recensitis, & etiam pro eorum parte subjuncto, quod ipsi, qui dignum existimantes thesaurum longo tempore absconditum Christi fidelibus debere ostendi, ut tanquam lucerna lucens ad aliorum exempla, & instructionem pateret, cupiebant pro exaltatione nominis Christi, ac splendore, gloria & honore ipsius Saresberienensis Ecclesiæ, ut super præmissis ad examinationem eiusdem processus, & alia dictam causam concernentia usque ad Canonizationem eiusdem Sancti viri procederetur, idem Martinus Prædecessor, prout rei gravitas, & magnitudo poscebat, bonæ memoriæ Jacobo Tergestino in Regno Angliæ Apostolicæ Sedis Nuntio, & Vvintoniensi, ac Herfordensi Episcopis suis litteris dedit in mandatis, ut processus super præmissis vita, & miraculis per eosdem Commissarios habitos, & formatos auctoritate sua cum debita maturitate, & gravitate, prout tantæ rei conveniret, recensentes, & examinantes, ac in formam authenticam redigentes, de præmissis omnibus, & eorum circumstantiis universis se informarent, & inquirent diligentius veritatem. Et nihilominus ad receptionem testium, probationum, & informationum fide dignorum, prout expediens esse cognoscerent, in ipsa causa ad ulteriora procederent, prout eorum discretioni videretur. Voluit tamen, quod totum in ipsa causa tam per eosdem primos iudices

formatum, quam secundo dictos auctoritate sua formandum processum in publica, & authentica forma eorum sigillis munitos per proprium nuntium ad ipsum Martinum Prædecessorem destinare curarent, ut veris existentibus supradictis ipse Prædecessor super Canonizatione huiusmodi in forma Ecclesiæ consueta, servatis de more solemnitatibus deliberare valeret.

§. 10. Qui quidem Commissarii mandata Apostolica in singulis diligentius exequentes, ultra primos aliis quamplurimis testibus idoneis diligentius examinatis, eorum dicta, & attestations, ac per eos habitos, aliosque priores processus prædictos ad Romanam Curiam transmiserunt, idemque Martinus Prædecessor ad humiles preces Episcopi, Decani, & Capituli prædictorum Gabrieli tituli Sancti Clementis, postea Eugenio Papæ IV., ac Petro tituli Sancti Stephani in Caelio monte Presbyteris, & Lucido Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diacono Cardinalibus, etiam in suo Concistorio publico vitæ vocis oraculo commisit, ut in dicta causa procederent, & apertis processibus eos diligentius examinarent, sibi que postea ex more referrent ad effectum Canonizationis prædictæ.

Transmittuntur Processus ad Sedem Apostolicam.

§. 11. Qui servatis servandis recognitionis sigillis processus huiusmodi aperuerunt, monentes omnes, & singulos, qui in his interesse aliquod habere prætenderent, ut ad diem certam tunc expressam legitime comparerent, aliaque deinde fecerunt, quæ circa ea fuerant opportuna.

Martinus v. Eugenius iv. & Nicolaus v. e vivis decedunt.

§. 12. Cumque rei huius veritate comperta idem Martinus Prædecessor votis poscentium cogitaret annuere, sicut Altissimo placuit, e medio sublatus est; & licet recolendæ memoriæ Eugenius præfatus similiter Prædecessor nossem rem hanc, ut accepimus, optato sine concludere, velle assereret, morte antea interceptus quod proposuerat non implevit. Denique fel: rec: Nicolaus Papa V. Prædecessor etiam noster immediatus plurimorum supplicationibus inclinatus, quod in similibus Sedes Apostolica observare consueverat, & rei qualitas expetebat, nobis tunc in minoribus constitutis, ac dilecto filio nostro Dominico tituli Sanctæ Crucis in Ierusalem Presbytero Cardinali negotium ipsum examinandum, investigandum, discutendumque commisit, in quo debita cum diligentia procedentes, cuncta quæ in præmissis; & circa ea quomodolibet opportuna erant, cum omni attentione, & maturitate rimari, & investigare curavimus, ac postremo eodem Nicolao Prædecessore, vocante Domino, similiter rebus ab humanis exempto; Nos, qui eidem licet insufficientibus meritis in universalis Ecclesiæ gubernatione successimus, iteratis vicibus pro parte charissimi in Christo filii nostri Henrici Sexti Angliæ Regis Illustris, ac charissimæ in Christo filiæ Margaritæ Regiæ Angliæ illius Conthoralis, necnon Prælatorum, Principum, & Christi fidelium dicti Regni, ac etiam Venerabilis

Angliæ Regis alio: tumque preces.

rabilis fratris nostri Richardi moderni Episcopi, dilectorumque filiorum Gilberti Kimar Decani, & Capituli Saresberienensis Ecclesiæ memoratæ fuimus debita cum instantia requisiti, ut quod iidem nostri Prædecessores minime adimpleverant, & nobis faciendum altissimum reservavit, perficere annuente Domino dignaremur; quorum omnium tam efficax assertio, & crebra dilecti filii Magistri Joannis Lax Legum doctoris, & Secretarii nostri, ac dictorum Episcopi, & Capituli Procuratoris intercessio fuit, ut non immerito nos, qui licet tantæ rei excellentiam sepe numero mente volverimus, eamque humeris nostris imbare esse plane conspexerimus, ne tamen voluntati Divinæ contradicere videremur, præmissa omnia, & singula ponderantes, necnon eiusdem Antistitis fidem, vitæ integritatem, mores, actus castissimos, humilitatem, simplicitatem, doctrinam, liberalitatem, maxime erga Saresberiensem Ecclesiam memoratam illiusque personam, & quæ a trecentis, & plurimis annis citra coruscavit miracula plurima, aliaque adminicula non minora, tam per authenticas scripturas, quam per fide dignorum etiam septuaginta quinque testium depositiones manifeste probata, famam quoque publicam, ac præterea triginta famosissimorum sacræ pagine, & utriusque juris Doctorum quorum nonnulli Episcopi, quidam Referendarii, cæteri vero Prælati Palatii Apostolici auditores, advocati Consistoriales, ac magnæ auctoritatis viri extiterunt consilia, quæ omnia in unam eademque sententiam pro ipsius Canonizatione Antistitis convenirent, merito attendentes, ut tanto viro gloriam, quam divina testificatione jam in triumphante obtinebat Ecclesia, in militante nequaquam negarem in terris præmissa omnia in Consistorio nostro per dilectum filium nostrum Eliam tituli Sancti Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem, quem loco nostro quoad hoc sustinimus, fecimus particulariter recitari, scrutatissime deinde in eodem Consistorio votis omnium Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac omnibus debite recensitis, iidem fratres nostri in eadem sententiam convenerunt, quorum secuti consilium, ut illud plurimorum sententiis firmaretur, omnes alios in Romana Curia residentes Prælatos in Palatio nostro iussimus congregari, qui post propositionem publicam omnium præmissorum votis, etiam singulorum ex more scrutatis, nemine discrepante una nobiscum, & fratribus antedictis consulerunt, & censuerunt ad canonizationem dicti viri optimi fore procedendum.

Canonizatio.

§. 13. In quorum præsentia de eodem consilio, & assensu decrevimus, & declaravimus, eumdem Osmundum Episcopum esse Canonizandum, ad quod publice, & solemniter faciendum diem statuimus hodiernam.

§. 14. Et quoniam per excellentia merito vir iste insignis, almi spiritus gratia

Tom. III. Par. III.

operante, in ipsius Summi Patris gloria collocatus hanc eandem militantem illustrat Ecclesiam, prout omnibus, qui ejus gesta didicerint, debet esse notissimum, nos qui ex debito Pastoralis officii cunctis fidelibus debitores existimus, per ea, quæ de Gregorii, Martini, & Nicolai Prædecessorum eorumdem ac nostro postremo mandatis super his iniquita, investigata, & examinata fuerunt, & quæ in minoribus constituti præ cæteris singulari devotione, & attentione iteratis vicibus relegimus, investigavimus, examinavimus, & diligentius fuimus percurati, tam per ipsorum testium fide dignorum depositiones, quam probationes alias legitimas, præmissis omnibus veris existentibus compertis, ac etiam comprobatis, de ipsius Osmundi Episcopi Sanctimonia plenissime informati, certioresque effecti quod optima fuerit negotiatio ejus, & talenta sibi credita cum multiplicato fructu suo restituit Creatori, de quibus sibi etiam fidele testimonium perhibemus, ut propterea ac ex multis aliis excellentibus donis, & gratiis, quibus extitit insignitus, super Candelabrum Domus Domini positus in universali Ecclesia inextinguibili lumine, & splendore rutilet, eam quoque sua claritate exornet. In nomine Sanctæ, & individue Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti præfatum Osmundum Episcopum celeberrimum benedicentes benedicamus in sæcula, floreatque super eum sanctificatio nostra, & ad honorem sempiternæ Deitatis, ac triumphantis, & militantis Ecclesiæ exaltationem, orthodoxa quoque Christianæ fidei foelicem statum, & augmentum auctoritate omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, atque nostra, de ipsorum fratrum Coepiscoporum, & Prælatorum unanimi consilio, & assensu pronuntiamus, declaramus, decernimus, ac etiam definimus, pie memoriæ Beatum Osmundum Episcopum antedictum Sanctum esse, & tanquam Sanctum ab universali Ecclesia, & cunctis fidelibus venerari, ac sanctorum catalogo ascribendum fore, & ascribi, quem ipsi in præsentiarum ascribimus, & Sanctorum cœtui aggregavimus.

§. 15. Statuentes, ac etiam Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis electis, & Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis ubilibet constitutis tenore præsentium injungentes, ut anno quolibet in die, qua ipsum post consummationem laborum triumphatumque mundum in æternitates perpetuas præfens vita transmisit, videlicet pridie nonas Decembris, festum ipsius, & officium veluti pro uno confessore Pontifice devote, & solemniter celebrent, & ab aliis celebrari, ac universis Ecclesiis, & Christifidelibus faciant venerari.

§. 16. Et ut ad Saresberiensem Ecclesiam prædictam, ipsiusque venerabilem tumulum, quem in digniori loco volumus præparari, eo libentius Christi fidelium

Festum & officium die 4. Decembris indicatur.

Indulgentiæ conceduntur.

confluat multitudo, eisque memoria recolatur, & festiuitas celebretur decen-
tius in futurum, eisdem fidelibus univer-
sis utriusque sexus verè poenitentibus, &
confessis, qui Ecclesiam Sarisbertensem
præfatam, & ipsius gloriosi Confessoris tu-
mulum in festiuitate, & per totam octa-
uam immediate sequentem devote visita-
uerint annuatim, & ad ipsius Ecclesie
atque tumuli reparationem, ornamentum,
& conseruationem, seu dictæ Ecclesie fa-
bricam manus portauerint adiutrices, in
festiuitate prædicta a primis vespèris illius
vigilie usque ad secundas vespèras eju-
dem festiuitatis, decem, in singulis vero
octauæ diebus tres annos, & totidem qua-
dragenas de iniunctis eis poenitentis mis-
ericorditer in Domino relaxamus, præsen-
tibus perpetuis futuris temporibus dura-
turis.

§. 17. Quocirca Universitatem vestram
monemus, requirimus, & hortamur at-
tente vobis nihilominus in virtute Sanctæ
obediencie, & ad æternorum præmiorum
augmentum districtius iniungentes, qua-
tenus præsentis litteras universis clericis, &
populis vestrarum Civitatum atque Dio-
cesum auctoritate nostra solemniter publi-
cantes, festum Venerabilis Episcopi, &
Confessoris huiusmodi omni solemnitate,
debita celebretis, & faciatis etiam ab aliis
celebrari, omnipotentem Deum, a quo
cuncta bona procedunt, totis cordis affe-
ctibus humiliter deprecantes, ut ipse eju-
dem almi Confessoris precibus, & meritis
exoratus militantem Ecclesiam, & cun-
ctos Christi fideles prædictos a Paganorum,
& aliorum Infidelium tueatur incurfibus,
& a periculis cunctis semper protegat, &
detendat, ac illam nobis, quam mundus
dare non potest, pacem, hostium eorum-
dem sublata formidine, cum temporum
tranquillitate concedat, & post vite mi-
litiæ, depositumque Pastoralis officii
ministerium una cum grege nobis credito
ad gaudia valeamus æterna pervenire.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum
liceat hanc paginam nostrorum pronuntia-
tionis, declarationis, Constitutionis, des-
criptionis, adscriptionis, aggregationis,
Statuti, injunctionis, voluntatis, relaxa-
tionis, monitionis, requisitionis, & hor-
tationis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum
anno incarnationis Dominicæ millesimo
quadragesimo quinquagesimo sexto.
Kalendis Januarii Pontificatus nostri anno
secundo.

Preces injun-
guntur.

Sanctio pec-
nalis.

Datum Romæ
An. 1456. Kal.
Jan. Pontif.
An. 2.

Exemptiones, & immunitates Monasterii
& Monachorum S. Salvatoris Messanen-
sis, Ordinis S. Basilii.

CALLISTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

URget nos suscepti cura regiminis, &
auctoritas Pontificalis inducit, ut pro
felici statu Ecclesiarum, & Monasterio-
rum omnium, præsertim S. R. E. Cardi-
nalibus nobiscum assidue in agro Dominico
laborantibus, commissorum, ac in eis sa-
cræ Religionis, & divinis laudibus dedica-
rum personarum, paternæ considerationis
acie solícite cogitantes, illorum occurra-
mus disponendis, ac profectibus consula-
mus, ut ademptis eorum gravaminibus
onerosis, illa ad laudem, & gloriam
Altissimi prosperis jugiter proficiant incre-
mentis.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus Mo-
nasterium S. Salvatoris de Lingua Sari Or-
dinis S. Basilii ad Romanam Ecclesiam
nullo medio pertinens Messanensis Dioce-
sis, quod Venerabilis frater noster Besa-
rius Episcopus Tusculanus, Apostolicæ
Sedis confessione obtinet in commendam,
facultates, & redditus satis tenues habeat,
& exiles, attamen præfatam Episcopus
Monasterium prædictum multipliciter de-
formatum, & depauperatum ad statum
regularem pro posse reducere, & in eo
virosum religiosorum, ac Monachorum
probate vitæ sufficienti numero Conventum
reintegrare, & restaurare propo-
nat.

§. 2. Nos Monasterium ipsum favoris
Apostolici præsidio communitate volentes,
ut e copiosius inibi divinum accrescat
obsequium, quo uberius ibidem gratia per
nos fuerit elargita, præfati Episcopi in hac
parte supplicationibus inclinati, quascum-
que exemptiones, libertates, & immuni-
tates, quæ olim a Romanis Pontificibus
prædecessoribus nostris eidem Monasterio
concessæ fuerunt harum serie approbamus,
& confirmamus.

§. 3. Dilectos filios Conventum, Mo-
nacos, & Ministros, tam præsentis, quam
etiam futuros dicti Monasterii, eisque
iurisdictiones, proprietates, bona, & oppi-
da, ipsiusque incolas atque loca cum om-
nibus iuribus, rationibus, & bonis mobili-
bus, & stabilibus, cum pertinentiis suis,
ab omni iurisdictione, superioritate, do-
minio, & potestate Venerabilis fratris no-
stri Archiepiscopi Messanensis, & aliorum
Judicum ordinariarum quorumlibet, a
collectis quoque, & ab illicitis ex consue-
tudine impositionibus, oneribus, grava-
minibus, contra Sanctorum Patrum de-
creta impostis, aut de cetero imponendis,
necnon ab illorum collectoribus, & exacto-
ribus, & receptoribus, seu ad huiusmodi
collecciones, receptiones, vel exactiones quo-
mo-

Procemium.

Causa huius
constitutionis

Confirmatio
innumerarum
Monasterii.

Exemptio a
iurisdictione
Ordinariarum,
& a collectis,
& impostio-
nibus. Ad hoc
vide declara-
tionem Conc.
Trid. sess. 24.
c. 11. & 14. &
cl. 3. const. 39.
suscepti.

Aliis Mona-
steriis etiam
has exemptio-
nes concessit
Greg. XIII. in-
fra in eius co-
stit. 45. Cogit.

quomodolibet deputatis, & deputandis
officialibus, auctoritate Apostolica tenore
præsentium prorsus eximimus, & totaliter
liberamus, necnon sub Beati Petri, & dic-
tæ Sedis atque nostra protectione, imitan-
tes Prædecessores nostros, suscipimus,
atque ipsi Sedi volumus, & decernimus
immediate subiacere, ita quod Archiepi-
scopus, & Ordinarii, ac alii supradicti,
etiam ratione delicti, seu contractus, aut
rei de qua agitur, ubicumque committatur
delictum, ineat contractus, vel res ipsa
constat, nullam possint, in Conventum,
Monacos, Ministros, personas, Monaste-
rium, membra, loca, & bona prædicta,
utpote penitus, & omnino exempta, si &
prout ab Apostolica Sede per Prædecesso-
res nostros concessum extitit, seu indul-
tum, eisque melius usi fuerint superiorita-
tem, iurisdictionem, seu potestatem, vel
aliquid dominium exercere nec ab eis ra-
tione impositionum, collectarum, vel sub-
sidiorum huiusmodi, quicquam petere,
exigere, recipere, vel levare, nisi censum
dumtaxat Ecclesie Messanensi debitum, si
& prout in privilegiis præfati Monasterii, &
melius usi sunt dicitur contineri, indulto
Apostolico, ut præmittitur ad quem nos
referimus, ipsaque, & contenta in eis, ob-
servari volumus penitus, & omnino. De-
cernentes irritum, & inane quicquid in-
contrarium præmissorum quomodolibet
contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus illis quæ in præ-
dictis indultis Apostolicis cautum est mini-
me debere obtinere, & aliis quibuscum-
que.

Nulli ergo &c.
Si quis autem &c.
Datum Romæ apud Sanctum Petrum,
Anno incarnationis Dominicæ millesimo
quadragesimo quinquagesimo septimo
XII. Kalendis Maii, Pontificatus nostri
Anno III.

V I I.

Transfigurationis festum Salvatoris vulga-
riter nuncupatum a Christifidelibus col-
endum instituit pro die sexta Augusti,
Indulgentiasque elargitur.

CALLISTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INTER divinæ dispositionis arcana, quæ
inscrutabilis providentia conditoris in
hominibus operata est, hodierna festiuitas,
in qua Unigenitus Dei filius pro humani
generis reparatione trabea nostræ mortali-
tatis indutus claritatis suæ, divinitatisque
potentiam demonstravit, stupendi, & ad-
mirandi nobis non indigna causa existit.
Nam, & si eisdem Redemptoris nostri
præclara miracula, erudimenta pariter,
& exempla pene innumera ad nostram do-
ctrinam nostramque profecto salutem edita
omnium admiratione, atque veneratione

Derogatio
contrarium

D. P. An. 3.
die 20. Apr.

Procemium.

dignissima sint; admirandam tamen eju-
dem Salvatoris nostri transfigurationem
singularibus insignitum mysteriis, & Sa-
cramentis ineffabilibus coruscantem eo
devotius pro universorum salute Fidelium
nos convenit celebrare, atque devotis ani-
mis pia devotione recolere, quo inter ipsius
Redemptoris salutiferas actiones hæc ead-
em præsentis diei visio redemptis morta-
libus in una eademque persona Deitatis
potentiam, & veram hominis naturam
ostendit: ac in nobis Fidei, Spei, & Cha-
ritatis dona confirmans eterne beatitudi-
nis præstitit cautionem. Hæc est enim illa
cunctis Christicolis veneranda festiuitas,
quæ immensam Dei nostri clementiam, &
misericordiam erga nos, qui Christum in-
duimus, & ipsius sumus insigniti caracte-
re demonstravit: sed, & sacrosanctæ uni-
versalis Ecclesie fundamenta non solum
supra petram Christum fundavit, verum
etiam stabilivit: nam cum interroganti
Domino, & quem dicerent homines esse
filium hominis requirenti, Discipuli, alios
Joannem Baptistam, alios quidem Eliam,
alios vero Jeremiam, aut unum ex Pro-
phetis, homines dicere respondissent, at-
que iterum eos Dominus interrogavit, vos
autem quem esse dicitis? Et Petrus pro se
& aliis inquit, affirmaret, Tu es Chris-
tus filius Dei vivi: hæc ipsa verissima sa-
lutiferaque Petri confessio in hac admi-
rabili Salvatoris nostri Transfiguratione per
vocem Patris dicitur: Hic est filius meus
dilectus, in quo mihi bene complacui con-
firmata, stabilita, & multimode approbata
est, & Jædæorum perfidia, qua ipsum esse
Eliam, aut Jeremiam, vel ex Prophetis ali-
quem falsa asseveratione contendebant,
penitus confutata. Aliorum vero ipsum
tamquam legis transgressorem, & blasphemum
sibi Dei gloriam usurpantem menda-
citer accusantium fuit exclusa calumnia,
cum illic Moyfes legislator, & Helias pro
gloria Dei æmulator atque Propheta exi-
mias astantes Christo, testimonium perhi-
berent. Quanta igitur veneratione colen-
da, ac solemnitate præcipua celebranda,
est hodierna festiuitas, in qua Pater voce,
& testimonio proprio Petri confessionem
manifeste confirmat, roboratur Apostolo-
rum fides, atque confessio, quæ Ecclesie
Catholicæ extitit fundamentum in ipso
Salvatore, & Redemptore nostro firmiter
stabilitum, Christus namque verum fon-
damentum Ecclesie est, præter quod aliud
poni non potest, cui ipse Apostolorum Prin-
ceps Spiritu Sancto allatus ad confutandas
perfidiorum fallacias veluti testis fidelis
Christo testimonium perhibet dicens, acci-
piens enim a Deo Patre honorem, & glo-
riam voce delapsa ad eum huiusmodi
magnifica gloria: hic est filius meus di-
lectus, in quo mihi bene complacui, ipsum
audite, & hanc vocem nos audivimus de
Cælo allatam cum essemus cum eo in mon-
te Sancto, intellexerunt namque Petrus,
& Comites, quod Fide tenebant majesta-
tem filii Dei per luminis claritatem, ac in
eo divinam, & humanam convenisse na-
turam,

Procemium.

turam, ut & paterna vox, & immensa, velut solis claritas, que omnem sensum, & mortalium facultatem excedit, Moyli quoque, & Helie presentia cum venerationis debite majestati divinæ exhibitione de futura ipsius passione loquentium, eum verum Dei filium nuntiarent, quod Evangelista Joannes affirmans inquit; vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis. Voluit etiam Salvator noster, qui ex passione sua trepidantia Discipulorum corda intellexerat perturbari, Transfigurationis hujusmodi Mytherio, ne in fide deficerent roborare, ut cujus Transfigurati gloriam viderent, passionem nequaquam potentia Judæorum illatam, sed voluntate propria crederent fuisse assumptam, neque a Fide Dominice Resurrectionis deciderent, quam eis post visionem tantæ majestatis, & gloriæ intimavit dicens, Visionem hanc nemini dixeritis, donec a mortuis filius hominis refurgat. Per hujus etiam admirandæ Transfigurationis mysterium ad perferendas presentis caliginosi Sæculi procellas animantur Christiani in personam Apostolorum, ut qui claritatis æternæ fieri participes tota animi intentione concupiscunt, ab ipso capite Duce, & Salvatore nostro humiliter discant, & pro ejus nomine ipsius imitando vestigia, & mortis minime reformidare. Per ipsius itaque mysterii intelligentiam ad confirmationem Christi Jesu ipsius imitatione ad Fidei, Spei, & Charitatis pietatis, & misericordiæ erga Deum, & proximos, ac opera quæcumque meritoria exercenda instruimus, ad poenitentiam invitamur etiam ad martyrium, & tolerantiam passionum hoc proposito præmio quod reformabit corpus humilitatis nostræ, & configurabit illud corpori claritatis suæ. O singularis, & excellens Salvatoris nostri doctrina! O ineffabile Sacramentum, in quo tanta, & pene innumera præcipuaque sunt conclusa miracula pro salute nostra alto consilio instituta, quæ si quisque Fidelis, quemadmodum deberet, attenderet, pro æternæ gloriæ affectione gaudiis profusis exultaret simul, & lacrimas in medium fundere cogeretur. Magnum enim erat, ac stupendum profecto miraculum faciem humanam ad instar Solis splendere, vestitumque ejus candidum, & fulgentem subito fieri tanta albedine, quantam fullo super terram teste Evangelista facere nequivisset, fulgoremque ipsum pro se voluntatis libito disparuisse, ut recte significaretur eam claritatem ab anima ipsius, quæ secundum superiorem portionem gloriosa erat, & verbum facie ad faciem videbat in corpus ipsum per suæ voluntatis imperium profluere, & redundare. In Moyli verò, & Helie presentia, quorum alter vita exciderat, pulchre manifesteque ostenditur illum mortis, & vitæ potestatem habere, & vivorum Judicem, ac pariter mortuorum esse merito constitutum, qui æternam propterea in terris beatitudinem quodammodo designavit, & qualis appariturus sit in secundo

adventu eis ostendit. Hæc quidem omnia & Prophetarum ac Apostolorum dicta, vox paterna miraculose formata confirmat, nubes lucida obumbrat, totiusque Trinitatis testimonium in hunc diem concurrat, Pater intonans, Filius splendens, Spiritus Sanctus in nube protegens, & illustrans; confirmatur denique testamentum novum, Lex Evangelica, Christianique doctrina, cum paterna vox subdidit: ipsum audite: Felix igitur, ac inter mortales beatus judicari potuit, cui tantæ rei mysteria sub humano corpore capere, intueri, & contemplari licuit, quæ Angelicis beatique Spiritibus magno privilegio conceduntur. Quis igitur tantarum rerum magnitudine pro generis humani salute ab auctore nostro mirum in modum gestis non stupeat in hodiernæ festivitatis institutione salubri? Quis in hac sacratissima die, in qua tot, & tanta sunt signata mysteria, in qua Christus divinitatis suæ potentiam, Prophetarum testimonium atque presentiam, sequæ vitæ, & mortis potestatem habere, ac vivorum, & mortuorum Judicem constitutum esse, ostendit, in qua cælestis quodammodo beatitudo, & humanitas in forma gloriosa terrenis hominibus exhibetur, in qua Prophetarum, & Apostolorum dicta paterna voce firmantur, & totius Trinitatis, atque hominum novi, & veteris testamenti testimonium perhibetur, Lex Evangelica roboratur, in ejusdem Salvatoris honore letari, & hymnis, & Canticis Redemptorem ipsum laudare, benedicere, & magnificare non debeat, cum per ea, quæ recensita sunt, & alia hodiernæ festivitatis inclusa mysteria plane intelligamus glorificationem corporis mytherici in resurrectione novissima, quando mortale immortalitatem, & corruptibile incorruptionem induerit, & quod seminatam est in ignobilitate, resurgat in gloriam, tunc enim facies lucida vere apparebit, Christus enim est caput nostrum, vestimenta alba, quæ signant corpus ejus mythericum, quod est universalis Ecclesia, fulgebunt enim justi sicut Sol in conspectu Dei, tunc denique patebit Transfigurationis mysterium, cum ipsius Redemptoris nostri imitantes vestigia in æterna beatitudine ipsius gloria perfruemur.

Ratio hujus Festivitatis.

§. 1. Ad confirmandam igitur Fidei nostræ ac Legis, & Prophetarum confessionem, necnon plurima, & maxima divina mysteria stupendaque miracula hujus Sacratissime Transfigurationis celeberrimam hanc diem non immerito divina inspiratione inducimur, eamque celebrem denunciare fidelibus invitamur, ut qui Visitationis, & Nivis, ac Purificationis Virginis gloriose Mariæ, & Presentationis in Templo, in qua Salvator noster se filium hominis ostendit, Circumcisionis quoque in qua legalia observavit, ac nonnullas alias novissimis temporibus institutas festivitates sanctorum devote recolimus, digne & hunc sacratissimum diem, in quo se Legis, & Prophetarum Dominum esse, in quo non infirmitatem carnis, sed virtutem glori-

glorificationis patefecit, & in quo tot, & tanta clarere mysteria, annua devotione piissime veneremur. Solet enim Sacrosancta Romana Ecclesia permissione Altissimi, Petri interdum fluctuante Navicula, Divina potius quam humana implorare præsidia, & ab eodem Salvatore nostro, utpote ipsius Ecclesiæ sponso fundatore atque magistro optimo solita remedia, & opportuna subsidia in lacrimis, & humilitate exposcere, ipsiusque clementiam peccatorum nostrum mole offensam penitentię & orationum remediis mitigare.

§. 2. Ea propter nos ejusdem Salvatoris nostri, cujus vices gerimus, & locum quamvis indigni tenemus in terris, qui cum multa de periculis de passione, & morte ac futuris persecutionibus, & discipulorum cæde locutus fuisset, ad extremum ea omnia equanimiter toleranda futurę vitę gloriæ præmissa adhortatur, doctrinam imitantes ipsiusque salutaribus monitis, & vestigiis inhaerentes, ac illa solemniter colere, & a Christianis colenda instituere cupientes, per quæ ejusdem Salvatoris altitudo sapientiæ, rectitudo justitiæ, potentia immensitas, & bonitatis largitas demonstratur, & per quæ in cordibus nostris roboretur Fides, Spes erigatur, & Charitas excitetur, & ad tribulationes, & persecutiones hoc potissimum tempore perferendas, quo rabidus hostis videlicet Turchus Machometus, qui os suum in Blasphemiam Altissimi relaxavit, & stragem Christianis inferre, tabernaculum Dei prophanare, Ecclesias violare, & Christi fidem, nomen, & Subditos ejus delere molitur, necnon ad suam suorumque Satellitum confringendas infanias arctius invitemus, Christianorum accusandam censentes non immerito tarditatem, ex qua, quod non optamus flagellis, & plagis concuti, probabiliter excitatur a multis, & precipue timoratis ejus, sub cujus vexillo, & nomine militamus devotissime implorantes auxilium, licet tantæ rei excellentiam, dum in minoribus constituti essemus, sæpius mente volventes, eam viribus nostris imparem esse intelligamus plane. Ne tamen Spiritu Sancto contradicere, aut divinæ voluntatis contempnisse videamur imperium, matura super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, in secreto prius, & deinde publico Concistorio, cum eisdem, & aliis in Romana Curia residentibus Prælati deliberatione præhabita, hujus sacratissime solemnitatis diem, de fratrum eorumdem Consilio institutum a cunctis Christianis perpetuo celebrandum, profecto credentes quod ipse Redemptor, cujus res geritur, & qui Ecclesiam suam pretioso ejus sanguine rubricatam protegit, & sustentat, & quæ illi profutura esse prævidet, per eumdem Spiritum Sanctum in tempore opportuno manifestat, nostram, & plurimorum devotorum hominum mentes hujusmodi sævienter procella divinitus inspiraverit ad tanti mysterii celebritatem, quæ ad corroborationem, & confirmationem

Turchorum exercitus.

Fidei Catholicæ cedit pariter, & honorem, ut præter communem, quam de ipso excellenti miraculo Sabatho primæ Hebdomadę Quadragesimalis jejunii, & sequenti Dominica commemorationem universalis facit Ecclesia, propria in honorem ejusdem Salvatoris solemnior per universum orbem, videlicet octavo Idus Augusti, quæ est sexta dies ejusdem annuatim ab universis Fidelibus, hæc sacrosancta festivitas celebretur, quoniam Pater ille misericordiarum, ac piissimus Christianorum protector, & vitæ nostrę defensor omnipotens Deus, postquam inde celebri beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, dum sacra Missarum solemnia in eorum Basilica ageremus, litteras nostras super generali oratione per universos Christianos faciendâ lectas, & favente Domino ubique observatas fecimus publicari, piis orationibus, & operibus sui afflicti Populi aliquantum mitigatus feritatem ipsius Viperii, & immanissimi Turchi cultoris execrabilis Machometi proxima æstate decursa cum suo pene innumerabili in quo plurimum confidebat exercitu Infidelium, & Turchorum contrivit, & Castri Belgradi in Regno Hungarię ad ripam Danubii situati, quod undique obsestum, & coangustatum diripere satagebat obsidione soluta per Crucesignatos, & Hungaros ad modum populares quamvis pauciores numero, & tere inermes ex nostra ordinatione, & instructione dilecto filio Legato nostro de Latere illuc destinato inuncta ac Nunciis, & literis sæpius repetita, ex sincera fide, quam gestamus in ipso Salvatore nostro, cujus est, res adunare disperfas, & desperatas protegere, & superbiorum precipue Infidelium, & Christianæ Fidei animi eorum potentiam conterere, & etiam debellare, sub strenuo Vayvoda Joanne celebris memoriæ Fidei nostræ Catholicæ acerrimo defensore, & pro ea, atque Fidelibus propugnatore Christianæque cohortis Duce dignissimo, cui nec Fides neque Spes potiendę victorię defuere, militantes, præsertim quondam Joanne de Capistrano Ordinis Fratrum minorum Professore viro quidem optimo, & meritorum apud Deum, & homines eximio, & nomine Christi Jesu, in quo salus nostra consistit fiducialiter, & assidue cum omni populo circumsepto voce unanimi invocante, vexillo quoque sacratissimæ Crucis cum magis clamoribus, & lacrimis elevato ad Cælum, unde infallibile, uti a cunctis dari sperabatur, advenit auxilium, mira res die memorabili beatę Mariæ Magdalene, cælesti præsidio communitus Populus fidelium impetu in hostes viriliter facto eumdem ferum Turchum cum suis sacrilegis complicitibus in turpem, & damnosam fugam convertit, deditque ipse miserator Dominus, & Fidelis in manu paucorum tam ferocis inimici, & innumerabilis exercitus cum maxima strage victoriam, ultra quam mens extimare possit humana: Dominus enim potens, & super omnes exercitus, & tyrannos, qui Madian, & Orientales

Festum Transfigurationis, die 6. Augusti indicitur.

Divina operum Turchorum exercitus profugatur.

Quadragesima
Turcharum
millia cedunt
ceteris in
fugam actis.

Adriani Imperatoris
mors
qualis?

Gratiarum
actio.

Indulgentia
conceditur.

tales populos ad numerum locustarum in manu tradidit Gedeonis, Onia etiam Sacerdoti contra Heliodorum Civitatem Sanctam Hierusalem prophanare molientem, praesidium praebuit, & juvamen, pro nobis contra insolentissimos hostes miraculose pugnavit. O bone Jesu dux, & Salvator noster fortitudo vera, & tutissimum certumque praesidium ad te confugientium Christianorum ea pietate, qua ipsos proprio Sanguine redemisti gladium tuum super inimicorum capita fugientium intromittens non pauciores sese mutua caede necarunt, quam a nostris praesidio interempti fuissent, nam ut a fide dignis accepimus in ea pugna Quadragesima millia occisi, totidemque superstitibus in turpem fugam versi sese mutuo trucidantes defecerunt, castra incensa, Machinae, & instrumenta bellica omnia aqua, & terra direpta sunt, ut confusus abiens ipse Tyrannus, & praetimore jam multis mensibus non apprensus inter latebras seu munita oppida se recepisse dicatur, & divinam praesentens ultionem in suam perditionem futuram intra Constantinopolitanam Peramque Civitates, se recluserit, illasque muris, & antemuralibus munire frustra deceret, minus attendens quod nisi dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam, superbiae ejus frangens imponens ipse Salvator solum nomen Vicarii Jesu Christi inhumanitatem ejus deterret, ita ut ossa in suo corpore contremiscant concutiaturque, ut Adriano accidit Imperatori, qui post immanissimam persecutionem Christianorum Tiberianam Civitatem ingressus per annum ejus ossa in suo corpore concussa sunt, & tandem putrefactus emarcuit.

§. 3. Igitur cuncti per orbem terrarum constituti Fideles animos, & Corpora pro Fidei Christianae munimine preparare, & debitas gratias Salvatori nostro pro tantis beneficiis ab eo susceptis exolvere, diemque victoriae e Coelo nobis concessae, diem laetitiae, & liberationis a filio superbiae, venenoso serpente, Turco fadissimo annis singulis celebrare studeant, pie, solemniter, & devote, quemadmodum filii Israel de servitute Aegyptiaca liberati sempiternum diem celebrem recolentes, Deo laudes reddebant, & gratiarum debitas actiones, ita & cuncti populi in hac solemnitate, & festivitate praecipua Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi recolentes mysteria, miracula, ac Legis naturae, & gratiae totiusque Sanctae, & individuae Trinitatis testimonia, etiam pro habita victoria hunc diem laetitiae perpetuis laudibus, obsequiis, & gratiarum actionibus in confusionem hostium, & Populi Christiani victoriam studeant venerari, ac etiam celebrare.

§. 4. Et ut Christifideles ad Sanctae festivitatis venerationem devote, & affectuose conveniant, & quisque pro sua imbecillitatis modulo eidem Redemptori laudes ac pro susceptis beneficiis gratiarum debitas actiones exolvat, utque ipse verus Pastor atque Redemptor gregem suum pro-

tegat atque conservet, ac ipsorum mentes ad totalem amulorum Fidei humilitationem, & exterminium corroboret, & inducat, de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus vere poenitentibus, & confessis, qui Vigiliae, & festivitatis hujusmodi Vesperis, matutinalique, & Missae officijs in Ecclesia, in qua institutum novissime officium celebrabitur, interfuerint, pro qualibet horarum & Missa centum, qui vero Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, & Completorii Officijs adierunt, singulis horarum earumdem Quadragesima dies de injunctis eis poenitentibus relaxamus. Qui vero devotionis causa, hujusmodi festivitatis Octavas duxerint celebrandas, & maxime in Ecclesijs sub ipsius Salvatoris invocatione fundatis, & qui horis Canonicis, ac Missis Octavam hujusmodi interfuerint, illas omnino Indulgentias consequantur, quas in Octava Festi Sacratissimi Corporis Christi horis hujusmodi interessentibus Praedecessores nostri pia largitione concesserunt.

§. 5. Quo circa venerabilibus fratribus nostris universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ac dilectis filiis Electis, ac Patriarchalium Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum Capitulis ubilibet constitutis in virtute sanctae obedientiae, & ad aeternorum praemiorum augmentum harum serie jungimus, & mandamus, quatenus praesentes literas nostras Cleris, & Populis suis auctoritate nostra solemniter publicantes, sacratissimum Transfigurationis hujusmodi festum, quod vulgariter Salvatoris dicitur, sub solemnibus Duplicis officio, quod una cum praesentibus destinamus anno quolibet, ut praefertur celebrent, & faciant etiam ab eorum Subditis celebrari; ipsum Salvatorem nostrum totis cordis affectibus humiliter deprecantes, ut solita Clementia Ecclesiae suae universisque Fidelibus antedictis assistere, & auxiliari dignetur, ac sublata hostium formidine, illam quam Mundus dare non potest pacem, ac tempora nobis tranquilla concedat, ut una cum commisso nobis Grege pervenire ad sempiterna gaudia mereamur, Amen.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae institutionis, relaxationis, & mandati infringere, & relaxattonis, & mandati infringere, &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, octavo Idus Augusti Pontificatus nostri Anno III.

Littere Apostolicae ubique publicantur.

Sanctio pontificalis.

Dat. Romae 1457. die 6. Aug. Pont. 3.

Fratres

VIII.

Fratres Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, ad Ordines Mendicantium transire non possint, cum respectu quarti voti illis strictiori videatur.

De tota materia hujus Ordinis vide sup. in Greg. IX.

CALLISTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Super gregem Dominicum nostrae vigilantiae divinitus creditum, intenti speculatoris officium exercentes, erga singulos regulares Ordines, aciem nostrae considerationis intendimus, & eorum status perspicaciter meditatur. Et quia quorum regula laxiores, quorumve arctiores existant, ex multis argumentis colligimus, personas illas, quae de aliquo eorumdem, in quo sunt superna vocatione vocati, ad alios Ordines leviter transmigrarunt, & quae per ambitionis devium, ab eorum obedientia temere recesserunt, ad Priorem caulam, si arctior fuerit reduci mandamus, prout eorum saluti, & Ordinum eorumdem decori conspiciamus expedire.

§. 1. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Magistri Generalis, & Definitorum generalis, & Provincialis Capitulorum Fratrum Ordinis B. Mariae de Mercede redemptionis Captivorum, petitio continebat, quod nonnulli ex fratribus ejusdem Ordinis expresse professi, vocatione sua non contenti, & immemores, quod ipsi voluntatem propriam abnegantes, semetipsos, pro redemptione Captivorum qui in potestate infidelium dure servitutis subjiciuntur, Altissimo deoverunt, profitentes se paratos, etiam pro unius redemptione captivi, non modo seipso captivitati Paganorum in excambium tradere, sed etiam, si opus foret mortem, & tormenta quolibet tolerare, se ab huiusmodi sancti voti jugo, auctoritate propria subtrahendo ad Mendicantium, seu aliorum Ordinum Monasteria, sive domos evolaverint. Nonnulli vero ex eisdem, habitu retento, sed obedientia franco effracto, per Curias Praetorium, aut Regum, Reginarum, aut aliorum secularium Principum, in opprobrium dicti Ordinis hinc inde discurrant, & varia scandala saepenumero pariant.

§. 2. Nos meditates, quod ex accessione emissionis posterioris voti, videlicet pro redemptione hujusmodi, ad tria per reliquos religionum quarumlibet emitti consueta substantialia vota, ut peregrinationes transmarinas, pro accedendo ad infideles eosdem, & periculosam cum Paganis conversationem, & reliqua redemptionis ejusdem discrimina omitteremus, tale vinculum fratribus dicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede videtur accedere, ut

Fratres aliqui hujus Ordinis, ad Mendicantes, & alios Ordines transire voluerunt. Tu scias id fortasse eis licere ex cap. licet d. Regularibus.

Hic modo Pontif. hunc transitum prohibet, & translatos, ad hunc Ordinem redire praecipit de claus. hunc Ordinem respectu quarti voti, ceterisque aliis strictiorem esse.

Tom. III. Par. III.

Ordo ipse videatur non modo in regula largior, sive par aliis Ordinibus antedictis, sed eis longe arctior, non immerito posse censeretur, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore praesentium statuimus, ac etiam ordinamus omnes, & singulos, qui in praefato Ordine B. Mariae solemnem votum professionis expresse emiserint, ita ipsi Ordini perpetuis eorum vite temporibus fore efficaciter obligatos, ut absque Sedis Apostolicae speciali licentia, eis ad alios quoscumque, regulares etiam Monasteriorum Ordines eos transeundi, auctoritas, vel potestas, minime sit concessa. Decernentes statutum, & ordinationem nostram hujusmodi, etiam ad praefatos eorumdem professorum trahi translationes, ita videlicet, quod generalis Magister, & Definitor praefati, praesentes, & qui pro tempore fuerint, per se, vel alium, seu alios, quoscumque religiosos, qui dictum Ordinem B. Mariae expresse professi fuerint ut praefertur, de quibusvis aliis Ordinibus eorumque Monasteriis, domibus, sive locis, ad quae forsitan, etiam cum suorum Superiorum licentia, & habitus mutatione pro tempore transiverant, repetere possint, & debeant. Ipsique sic translati Religiosi, etiam sine repetitione hujusmodi ad priorem Ordinem B. Mariae praedictum, sub virtute sanctae obedientiae redire omnimode teneantur.

§. 3. Et insuper, ut eadem statutum, & ordinatio facilius vendicet sibi locum, omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque Praelatis, necnon personis Ecclesiasticis in dignitate constitutis, ad quos praesentes litterae, vel earum transumpta authentica pervenerint, per Apostolica scripta mandamus, quatenus Episcopi, & eorum quilibet, per se, vel alium, seu alios statutum, & ordinationem, ac literas nostras hujusmodi; ubi, & quando expedire viderint, ac pro parte generalis Magistri, & Definitorum praedictorum fuerint requisiti, auctoritate nostra solemniter publicantes, quoscumque religiosos in eodem Ordine B. Mariae expresse professos, qui ad alios Ordines sine dictae Sedis speciali licentia transierunt, vel in posterum transierint, necnon etiam illos, quos in Praetorium, Regum, Reginarum, vel aliorum secularium Principum Curias, aut alibi ubicumque extra loca praefati Ordinis vagare eis constiterit, ad requisitionem Magistri, aut Definitorum ipsius Ordinis ad loca dicti Ordinis B. Mariae, in quibus professionem ejusmodi emiserint, infra certum de quo eis videbitur sibi praesigendum peremptorium terminum competentem, omni causa & occasione cessantibus, protinus revertantur, dicta auctoritate nostra moneant, & mandent eisdem. Et nihilominus non paruerint cum effectu, ipsos ad hoc per censuram Ecclesiasticam, necnon arrestationem, si opus fuerit personarum, ac incarcerationem, ac alia fortiora remedia, necnon contradicentes quoslibet, & rebelles

Ordinaris, & aliter executionem hujus Bullae praecipit.

M

belles cuiuscumque dignitatis, status, nobilitatis, præminentie, vel conditionis fuerint, etiam si Pontificali, Regali, Reginali, aut alia quavis, Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, per censuram eandem, appellatione remota compellant, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contrariis omnibus derogat.

§. 4. Non obstantibus felicitis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, illis præsertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis, ultra unam diem a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede deputati prædicta extra civitatem, & diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, ac alii, vel alius vices suas committere, seu aliquos ultra unam diem a fine Diocesis eorundem trahere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali, & personis, ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus, necnon privilegiis, indulgentiis, concessionibus, statutis, decretis, ordinationibus, & aliis literis Apostolicis Monachorum, Fratrum Mendicantium, & aliis Ordinibus supradictis, eorumque Monasteriis, domibus, sive locis per Sedem prædictam, vel Legatos eius, aut alios quoscumque in genere, seu in specie concessis, quorumcumque tenorem existant, statutis quoque, & consuetudinibus eorundem, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis specialis, & expressa mentio habenda foret, quoad hoc, illis alias in suo robore permanentibus derogamus expresse, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim a dicta Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca, ac iudicium evocari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Exemplis eredi iubet.

§. 5. Verum quia difficile foret, præsentis literas ad singula mundi loca originaliter posse transferri, volumus, quod earum transcriptis authenticis, manu publica duorum notariorum subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, vel Collegii roboratis, plena fides, in iudicio, & extra ubicumque exhibita fuerint adhibeatur, ac si literæ ipsæ originales forent exhibitæ, vel ostentæ.

Nulli ergo, &c.

Dat. P. A. 2. die 7. Octobr.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, Prædictæ Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno III.

Præbiteros Græcos inter Missarum solemniam Romæ Pontificis nomen elata voce canere, integrumque Credo juxta Romanæ Ecclesiæ Ritum dicere obligatos fore decernit.

CALLISTUS EPISCOPUS

Ex Regest. in Archiv. Vat.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

R Edditari de commissio nostra sollicitudini grege fidelium illi, qui nobis licet immeritis eundem sua bonitate commisit, in extremo iudicio rationem, summis, ut tenemur, studiis illos, quos plerumque a fidei Catholice saluberrimis institutis tortuosus coluber humani generis æmulus venenosus suggestionibus divertere, & deviare molitur, Salvatori nostro, qui non mortem, sed conversionem, & vitam desiderat peccatoris, restituere, & ad viam veritatis, quæ Christus est, reducere procuramus, atque toto nisu exquirimus, id pro eorum salute, & reductione efficere, per quod animarum suarum profectibus consulatur, nosque in ratione reddenda divinæ iustitiæ possimus evadere ultionem.

Exordium.

§. 1. Sane licet nostris temporibus, dum minori fungeremur officio Orientalis Græcorum Ecclesia in Concilio generali per Latinos, & Græcos Florentiæ celebrato Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ conjuncta fuerit, & unita, quia tamen inter cetera ex his, quæ in ipso Concilio sancita, & salubriter decreta fuerunt, aliqua per ipsos Græcos, quemadmodum fieri missarum solemniam nomen Romani Pontificis in loco deputato alta, & intelligibili voce exprimere, ac pro ipsius, & S. R. E. incolumitate, statumque pacifico orare teneantur, & debeant juxta doctrinam Salvatoris nostri, qui in Petri, & Apostolorum personis figurate nos instruit, dicens: qui vos recipit, me recipit, & qui recipit me, recipit Patrem meum, ex quo recte elicitur, Petrum, & Successores suos recipientes Beatitudinem adepturos; de Petro enim super alios dixit, quia post Apostolos Cephas, & Caput in Ecclesia universali mansurus erat, cuius oppositum ipsa veritas in eodem loco disseruit, cum ait, qui non recipit vos, non recipit me, & qui non recipit me, non recipit Patrem meum, ex quo pariformiter inferitur, tales incurrere damnationem æternam, de quo iterum Salva-

Græci multa, quæ in Concilio Florentino non receperunt, non observare ait.

Præcipit, pro ut in rubrica.

Qui Romano Pontifici non obtemperat, extra Ecclesiam est.

Salvator pulchre in Evangelio clarius exprimit, dicens: oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & ex cognosco me, & ego do eis vitam æternam; vox enim Christi a fidelibus auditur, cum in ore Sacerdotum, nomen Vicarii Jesu Christi, qui ipsius vices gerit in terris, & cui pascendarum ovium cura commissa est, publice nunciatur, omnes namque per obedientiam Pastorem agnoscunt, Pastor vero Summus Pontifex, claviger, & ostiarius Regni Cœlestis, & ostium Paradisi aperit, & ad perpetua Beatitudinis pascua fideles per mandatorum semitas incedentes salubriter introducit, divino namque iure sancitum est, ac omnium Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ Doctorum sententia comprobatum, ut singula membra capituli, idest Romano Pontifici Apostolico se debeant per omnia reconformare, a quo nostrum est querere quid credere, quid tenere debeamus, quoniam ipse solus est statueri, disponere, solvere, & ligare, qui vice Christi fungitur, & ab eo vobis in Pastorem dedicatus existit, cui omnes Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, ceterique Christicolæ tanquam indubitato Vicario Jesu Christi obtemperant.

Altera Pars Constitutionis circa Processione Spiritus Sancti.

§. 2. Demum ut illa vetustissima, periculosaque, & damnanda opinio in eodem, & aliis conciliis continuo reprobatâ, qua nonnulli minus veraciter affirmare præsumebant, Spiritum Sanctum a Patre solo procedere, penitus eradicari valeat, & quod Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ profiteatur, tenet pariter, & affirmat, eundem videlicet Spiritum Sanctum ab eodem Patre, & filio equaliter procedere, sicuti Beatus Athanasius lumine ejusdem Spiritus illustratus edocuit, dicens, eundem Spiritum Sanctum non factum, non creatum, non genitum, sed ex Patre, & filio æternaliter procedere, pectoribus singulorum fidelium pro eorum salute, & directione inseratur, similiter statuimus, ac etiam ordinamus, quod iidem Præbiteri, & Sacerdotes, dum infra earumdem Sacra Missarum solemniam symbolum ex ordinatione Ecclesiæ canunt, aut dicunt, illud integre secundum ritum ejusdem Romanæ Ecclesiæ intelligibiliter dicere teneantur, & debeant, videlicet: qui ex Patre, filioque procedit; alioquin omnes, & singulos, qui huic articulo orthodoxæ fidei ad nostram profecto salutem necessario, & in tot sanctorum Patrum Conciliis iteratis vicibus approbato contradicere, aut ejusdem Catholicæ Ecclesiæ institutiones observare recusaverint, vel malitiose neglexerint, sententias, censuras, & penas in eisdem, & præcipue Florentino Conciliis antedictis in tales generaliter latas, inflictas, & promulgatas, & anathema trecentorum, decem, & octo Patrum, nisi a præmissis erroribus respiciere, & unitati ejusdem Ecclesiæ se per omnia illico conformare studuerint, incurrere volumus ipsos facti.

Verba hæc qui a Patre filioque procedit Symbolo præcipit in hęcenda.

§. 3. Quapropter ne per tacurnitatem posterioris temporis mentes fidelium ab istius credulitate articuli fiant damnabili-

Tom. III. Par. III.

ter longiores, districte præcipimus, & mandamus, quatenus processio Spiritus Sancti a Sacerdotibus Græcis explicite, & manifeste ponatur in simbolo, ut fides ad justitiam teneatur in corde, & ad salutem omnium ejus fiat oris confessio, se tanquam filii obedientiæ semper Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris suæ per omnia conformantes, ut fiat unum ovile, & unus Pastor juxta ipsius sententiam Salvatoris.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, Ordinationis, voluntatis, & præcepti, & mandati infringere, &c.

Clausula.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, tertio nonas Sept. Pontif. nostri Anno III.

Dat. die 7. Septem. 1457. An. III.

PIUS SECUNDUS

PAPA CXII.

ANNO DOMINI MCCCCLVIII.



P IUS Silvius Piccolomineus Senensis S. R. E. Tituli Sanctæ Sabinae Præbyter Cardinalis, & Senensis Episcopus electus est in Summum Pontificem die 19. Augusti 1458. Sedit in Pontificatu Friderico III. Imperatore Annos V., Menses XI., dies XXV., & tribus Promotionibus XIII. creavit Cardinales. Obiit Anconæ die 14. Augusti 1464., & corpus ejus Romam delatum in Basilica Vaticana tumulatum est. Vacavit Sedes dies XVI.

M 2

Gene.